



Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Apostolica contra nostri temporis hæreses

In quibus Loca illa explicantur, quæ Hæreticj hodie (maximè Calvinus & Beza) vel ad sua placita stabilienda, vel ad Catholicæ Ecclesiæ dogmata infirmanda ...

In Epistolam B. Pauli ad Romanos

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595

6. Habentes donationes, secundùm gratiam quæ data est nobis,
differentes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39447

& Abiron in veteri populo, Arius & alij archihæretici in Ecclesia Christi. *Videre enim est vt plurimum, quibus delirijs circumferantur, qui se stulta ambitione ultra constitutos sibi fines effecerunt.* Hæc omnia verissimè Calvinus, quæ in ipsum omnium maximè aliosque hodie sectarios ad amussim quadrant.

6. *Habentes donationes, secundum gratiam quæ data est nobis, differentes.*

Schisma-
ticorū re-
prehensio

PLacet hoc loco Caluini commentarius, quia ex ore aduersarij fortius sonat veritas. *Hinc, inquit, præcipuum habemus scopum quò tendit Apostolus, non omnia omnibus conuenire, sed ita esse distributa Dei dona, vt finitiam singuli portionem habeant: atque suis donis in Ecclesia adificationem conferendis sic oportere intentos esse singulos, vt nemo derelicta sua functione in alienam transeat.* Optima & saluberrima sunt ista; sed quæ contra Caluinū, Bezā, aliosque sectarios omnes plurimum valent. Illi enim omnes, derelicta sua functione, in alienam transferunt. Calvinus, depulso Geneuensi Episcopo, in eius se cathedram intrusit, cum Farello & Vireto complicitibus suis. Sui postea Confessorij formam amille quàm Beza omnibus alijs reformatis (vt vocant) Ecclesijs, Anglicis, Scoticis, Polonicis, & per totam Franciam obtrudere importunissimè contenderunt: nec adhuc in Anglia

Anglia forma ac politia vetus à Puritano-
rum clamoribus, qui sua semper flagitant
Consistoria, libera atque immunis est: de
qua vna causalis adhuc inter Anglo-calui-
nistas & Puritanos interminabilis feruet.
Quotquot hodie sectarij, absque legitima
in vna Ecclesia Catholica ordinatione, pas-
cendi & docendi sibi munus sumpserunt,
derelicta sua functione in alienam transferunt.

6. *Sive prophetiam secundum rationem fidei.*

HAec etiam Pauli verba rectè & ortho-
doxè, sed contra caput suum, interpre-
tatus est Calvinus. *Prophetia, inquit, hodie in*
Christiana Ecclesia nihil ferè aliud est quàm recta
Scriptura intelligentia, & singularis eius explican-
da facultas, ex quo veteres prophetia omnes & om-
nia Dei oracula in Christo & Euangelio ipsius
sunt conclusa. Admonet igitur eos qui in Ec-
clesia prophetant, vt suas prophetias ad fidei nor-
mam conforment, necubi aberrent à linea. Fidei au-
tem nomine significat prima religionis axiomata;
quibus quacumque doctrina deprehensa fuerit non
respondere, falsitatis sic conuincetur. Optime
istud, & prorsus iuxta Apostoli mentem:
nec quicquam salubrius Apostolus monuit.
Debet omnis S. Scripturae interpretatio
non ex priuato cuiusque iudicio ad noua
cuiusque sectarij placita obtorto collo in-
dignissimè trahi, sed ex cõmuni sensu pio-
rum

*Scriptura
iuxta fidei
regulã ex-
ponenda.*